



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

11. Iterum Galliæ Episcoporum in Lotharium Imperatorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

XI. Anno DCCCXLII. Lotharius Imperator Ludovicum, Carolique fratres bello aggressus, acie vincitur, fugamque capit. Episcopi Galliae Aquis conveniunt, & Lotharium Regno, Imperioque; abdicant, duobus fratribus in ejus locum suffectis; prius tamen de Lotharij criminibus cognoscunt, vindicantque, ac tunc demum Imperio ejiciunt; sed nec fratres admissi, nisi prius se justè & ex legum præscripto regnatos jurassent; audi Nithardum, Francorum nobilissimum, & Caroli M. ex filia nepotem, qui que omnia coram spectabat; sic enim inter alia: *Qui Episcopi ab initio gesta Lotharij spectamus, quomodo Patrem suum Regno pepulerit: quoties populum Christianum perjurum effecit: quot homicidia, adulteria, incendia universalis Ecclesia sua nefandissima cupiditate perpessa sit: insuper autem neque scientiam gubernanda Republica illum habere. Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod vindicta Dei illum ejecerit, Regnumque fratribus suis melioribus se ad regendum tradiderit. Veruntamen haud quaquam illis Episcopi hanc licentiam dedere, donec percunctati sunt, an secundum Dei voluntatem regere vellent? & respondentibus se velle, ajunt, & auctoritate divina ut illud suscipiatis, & secundum Dei voluntatem Regatis, monemus, hortamur, atque precipimus. Vides hic, Galliae Episcopus jus Imperijs ac Regibus dicere, nostramque sententiam non calamo solum, sed exemplo docere, & Coronas de uno in aliud Caput transferre, certis tamen, fixisque legibus, & juramento sancitis: quid amplius velis?*

XII. Anno DCCCLX. Ludovicus Pius Imperator, cum tres filios reliquisset, Lotharium primum Imperatorem, Ludovicum Germaniae Regem, & Carolum Calvum, istorumque factionibus, bellisque Civilibus, diu Imperium & Gallia conflictarentur; tandem inter Ludovicum & Carolum fratres, eorumque ex fratre nepotem Lotharium (filium Lotharij Imperatoris) pax sancita est, ac mutuis juramentis firmata; sed Caroli ambitio, pacto: um ac finium impatiens omnia abruptit, invasitque fratris ac nepotis Provincias; hinc à Ludovico & Lothario ad Nicolaum querelae, quibus ut in vasorem compesceret petebatur; inter alia sic Pontificem alloquuntur: (a) *Oporteret vestrae auctoritatis jubar propter generalem solitudinem nostros invisere fines, ut quos nulla movent fraterna charitatis*
Aaaa 3 visera,

(a) Exactis Concilij apud Confluent: in MS. Cod. Anton. August. ap. Baron. ad ann. 860.